

lum sæculi, \* facta in veritate et æquitate.

Redemptionem misit populo suo: \* mandavit in æternum testaméntum suum.

Sanctum, et terribile nomen ejus : \* initium sapientiae timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum : \* laudatio ejus manet in sæculum sæculi.

Psalmus 129.

De profúndis clamávi ad te Dómine : \* Dómine exaudi vocem meam :

Fiant aures tuæ inten-dentes, \* in vocem depreca-tionis meæ.

Si iniquitátes observáveris Dómine : \* Dómine quis sustinébit?

Quia apud te propitiatio est: \* et propter legem tuam sustinui te Dómine.

Sustinuit ánima mea in verbo ejus : \* sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem : \* speret Israel in Dómino.

Quia apud Dóminum misericordia : \* et copiosa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israel, \*

ex ómnibus iniquitatibus ejus.

Psalmus 137.

CONFITEBOR tibi Dómine in toto corde meo : \* quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi : \* adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua, et veritáte tua : \* quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exaudi me : \* multiplicabis in ánima mea virtutem.

Confiteántur tibi Dómine omnes reges terræ : \* quia audiérunt ómnia verba oris tui :

Et cantent in viis Dómini : \* quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus, et humilia réspicit : \* et alta a longe cognoscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificabis me: \* et super iram inimicorum meorum extendísti manum tuam, et salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro